

cui proprie convenit aliquod attributum, vel quaedam denominatio: *ut quo* indicat rationem, propter quam subiectum est, vel denominatur tale; e. g., hic terminus *albus*, si accipiatur *ut quod*, significat parietem, vel aliud, quod dicitur album; sin autem *ut quo*, denotat ipsam albitudinem. Hoc sensu terminus acceptus *ut quod* dicitur etiam usurpari *in recto*, *ut quo*, *in obliquo*<sup>1</sup>. 5<sup>o</sup> Denique: Species, per quam fit cognitio alicuius rei, est *obiectum*, quo illa cognoscitur; res autem a specie repraesentata est *obiectum quod*. « Species visibilis, ait s. Thomas, non se habet, *ut quod* videtur, sed *ut quo* videtur<sup>2</sup> ». Et alibi: « Species intelligibiles, quibus intellectus possibilis fit in actu, non sunt obiectum intellectus; non enim se habent ad intellectum, sicut *quod* intelligitur, sed sicut *quo* intelligit<sup>3</sup> ». Sane, species non est terminus, in quem cognitio fertur, sed dumtaxat principium, ex quo facultas cognitrix determinatur ad percipiendam rem ab ipsa specie repraesentatam. Quare, etsi anima cognoscat res per species, tamen illas in seipsis cognoscit: « Cognoscere res per earum similitudines in cognoscente existentes, est cognoscere eas in seipsis<sup>4</sup> ». Et B. Albertus M.: « Sensus per hoc, quod species est sensibilium, sensibilia immediate accipit<sup>5</sup> ».

## Q

## EFFATA

I. QUALIS EST ESSENTIA, TALIS EST POTENTIA<sup>6</sup>.

II. QUALIS MODUS ESSENDI, TALIS MODUS OPERANDI<sup>7</sup>.

III. QUALIS UNUSQUISQUE EST, TALIS FINIS VIDETUR EI. Illud enim, quod apprehenditur velut bonum atque conveniens, movet voluntatem; quod patet ex illo: *Omne agens agit propter bonum*<sup>8</sup>. At potest aliquid diverso modo appreh-

<sup>1</sup> Vid. p. 175.

<sup>2</sup> *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. creat.*, a. 9 ad 6.

<sup>3</sup> *In lib. III De An.*, lect. VIII.

<sup>4</sup> I, q. XII, a. 9 c.

<sup>5</sup> *In Eth.*, lib. IV, tract. II, c. 18. Cf. Sanseverino, *Phil. Christ.* etc. *Dynam.*, vol. I, c. II, a. 5, p. 590 sqq., et vol. II, c. III, a. 4, p. 598, Neapol. 1862.

<sup>6</sup> Vid. p. 282.—<sup>7</sup> Vid. p. 213.—<sup>8</sup> Vid. p. 246.

hendi velut bonum et conveniens, prout diversa est conditio eius, cui illud obiicitur: E. g., ei, qui ira concitatur, videtur aliquid bonum, quod huiusmodi non videtur ei, cuius animus huiusmodi commotione non afficitur. Ergo finis, seu id, quod movet voluntatem, talis est, qualis est unusquisque<sup>1</sup>.

IV. QUALITAS EST NOBILIOR QUANTITATE. Tum quia qualitas nobilioribus convenit substantiis, quantitas autem tantum corporeis; tum quia qualitas nobiliorem, quantitas ignobiliorem compositi partem sequitur; nam qualitas ex forma, quantitas ex materia fluit. Non est autem qualitas prior quantitate. Nam licet forma, quam qualitates comitantur, praestantior sit materia, quae quantitates secum defert; tamen quantitas prior qualitate est; siquidem ordine naturae prius oportet subesse materiam, quam forma illi adveniat, nec intellectus capere potest, quod in generatione rerum forma materiei praecedat<sup>2</sup>.

V. QUALITAS FUNDAT SIMILITUDINEM, ET DISSIMILITUDINEM. Scilicet per qualitatem res dicuntur similes, aut dissimiles. E. g., duo equi, si sint eiusdem coloris, dicuntur similes<sup>3</sup>. Illud autem admonere est, a qualitate res *per se* dici similes; *per accidens* dissimiles. Dissimilia enim proprio et stricto sensu accepta dicuntur non tam propter qualitates, quam propter qualitatis, quae uni subiecto inest, in altero defectum. Insuper « similitudo et dissimilitudo attenditur non solum secundum eandem, vel diversam qualitatem, sed etiam quantum ad eundem, vel diversum participandi modum<sup>4</sup> », neque solum aliqua *similia* dicuntur « ex eo quod participant unam formam, sicut duo albi albedinem », sed etiam « ex eo quod unum, quod participative habet formam, imitatur illud, quod essentialiter habet; sicut si corpus album diceretur simile albedini separatae, vel corpus mixtum igneitati ipsi igni<sup>5</sup> ». Haec postrema similitudo esse dicitur *secundum analogiam*, atque ratione ipsius dicuntur creaturae Deo quodammodo similes esse<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. 9, a. 2 c.

<sup>2</sup> Vid. p. 143.—<sup>3</sup> Vid. p. 13.

<sup>4</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LII, a. 3 c. Vid. p. 252.

<sup>5</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. LXVIII, q. I, a. 1 sol.

<sup>6</sup> I, q. IV, a. 3 c. « Nam ipsi scitis, et nemo dubitaverit simile

VI. QUALITAS HABET CONTRARIUM. Haec altera proprietas non pertinet ad qualitates, quae sub diversis sunt generibus, scientia enim non pugnat cum virtute, sed cum ignorantia. Pertinet itaque ad quasdam qualitates sub eodem genere contentas; e. g., calor et frigus, virtus et vitium, valetudo et morbus inter se pugnant. Diximus ad quasdam; nam nec figura, e. g., figurae, nec forma formae adversatur. Potest etiam ipsum effatum explicari, quatenus quicquid *per se* contrarium est alteri, propria est qualitas. Licet autem actiones et passiones quoque contrarium habere dicantur, id tamen, quemadmodum plerique existimant, non *per se* actioni et passioni convenit, sed ratione qualitatum, quae actionum, et passionum termini sunt; ut dealbatio denigrationi est contraria, quia albedo nigrori contraria est.

VII. QUALITAS SUSCIPIT MAGIS ET MINUS. Siquidem qualitas potest *intendi*, aut *remitti*; e. g., modicus calor crescit, et fit maior; contra, magnus calor minuitur. Ubi haec tria adnotanda sunt: 1<sup>o</sup> Huiusmodi proprietas non convenit omnibus qualitatibus; e. g., figura non intenditur, nec remittitur; quocirca unum triangulum, quamvis possit esse maius, idest magis extensum altero, tamen non est magis triangulum, quam alterum: « Magis et minus non invenitur . . . in figuris, puta triangulare, et quadratum <sup>1</sup> », siquidem ea, quae participant rationem trianguli, aequae eam participant. 2<sup>o</sup> Hoc valet, si nomina concreta adhibeantur, non vero si abstracta; scilicet non ipsae

non de substantiis, sed de figuris et qualitatibus dici. De substantiis enim non similitudo, sed identitas dici debet. Homo igitur homini similis dicitur non secundum substantiam, sed secundum habitum et figuram; quod ad substantiam enim eiusdem naturae sunt. Rursum homo cani nequaquam dissimilis dicitur, sed diversae naturae. Ergo quod eiusdem naturae est, etiam consubstantiale est; et quod diversae naturae, diversae etiam substantiae. Quapropter qui dicit similem secundum substantiam, ex participatione similem dicit; similitudo enim est qualitas, quae substantiae accidere potest. Hoc autem officium proprium fuerit; ea enim ex participatione Deo similia efficiuntur. Nam, cum, ait, apparuerit Ille, similes Ei erimus, scilicet non substantia, sed filiorum adoptione, quam per Eum participamus; s. Athan., *De Synodis Arimini in Italia, et Seleucia in Isauria celebratis*, n. 53.

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, *De virtut.*, q. I, a. 2 c.

qualitates, quatenus qualitates sunt, sed quatenus in subiectis sunt, intentionem, aut remissionem capere possunt; e. g., dicitur aliquid magis, aut minus calidum, magis, aut minus iustum; non vero magis, aut minus calor, magis, aut minus iustitia. Et sane, iustitia una est, et eadem, simplicemque habet essentiam, quae definitione eius explicatur; dicitur tamen unus alio iustior, aut minus iustus, quia magis, aut minus iustitiam illam participat: « Qualitates in abstracto signatae, quia signantur per modum substantiae, nec intenduntur, nec remittuntur; non enim dicitur albedo magis et minus, sed album <sup>1</sup> ». 3<sup>o</sup> *Intensionem* non fieri per additionem similis in specie; « sicut non oportet quod albedo albedini addatur ad hoc quod fiat magis album <sup>2</sup> »; sed « causatur intentio ex hoc, quod illud, quod intenditur, magis perfectum invenitur, et opposito impermixtius <sup>3</sup> ».

VIII. QUALITATIS NON EST QUALITAS <sup>4</sup>.

IX. QUANDO ALTERUM PRAEDICATUR DE ALTERO, TAMQUAM DE SUBIECTO, QUIDQUID DICITUR DE PRAEDICATO, DE SUBIECTO QUOQUE DICITUR. Ita quia *homo* praedicatur de Petro, et *animal* de homine, et *vivens* de animali, et de vivente *substantia*, praedicabitur quoque de Petro *animal*, *vivens*, *substantia*. Nam praedicatum sine iis, quae notionem eius constituunt, subiecto inesse non potest, ac proinde ea, quae praedicato insunt, etiam subiecto, cui illud attribuitur, inesse oportet <sup>5</sup>. Ut autem hoc effatum vim suam habeat, haec duo expostulantur: 1<sup>o</sup> Ut illud, quod de praedicato subiecti dicitur, dicatur *universaliter* et *coniunctim*; hinc ex eo, quod homo est animal, atque animal est rationale, et irrationale, non sequitur, ut homo sit rationalis et irrationalis; nam rationale et irrationale conveniunt homini *divisim*, non *coniunctim*. 2<sup>o</sup> Ut eadem sit *suppositio* <sup>6</sup>, nec subsit aequivocatio: hinc ex eo, quod animal praedicatur de homine, atque genus de animali, non sequitur, ut homo sit genus, nam praedicatio animalis de

<sup>1</sup> *Ibid.*

<sup>2</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XVI, q. III, a. 2, sol. 1 ad 1.

<sup>3</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 1 ad 2.

<sup>4</sup> Vid. *Accidentis non est accidens*, p. 26.

<sup>5</sup> Vid. s. Thom., I, q. XXVIII, a. 3 c.

<sup>6</sup> Quid nomine *suppositionis* intelligatur, explicabitur litt. S.

homine est *realis*, praedicatio autem generis de animali est *intentionalis*<sup>1</sup>, ideoque mutatur suppositio. Item inferri nequit Herodem esse animal quadrupes, ex eo quod vulpes est animal quadrupes, et Herodes est vulpes: esse enim vulpem non praedicatur de Herode *proprie*, sed *metaphorice*. Quare s. Thomas monuit illud effatum intelligendum esse de iis, quae praedicantur *per se*, hoc est secundum propriam rationem seu *naturam*<sup>2</sup>.

X. QUANTITAS FUNDAT RERUM AEQUALITATEM ET INAEQUALITATEM. Seu res denominantur aequales, vel inaequales, pares, aut impares, prout conveniunt, vel non in quantitate, sive *molis*, sive *virtutis*<sup>3</sup>. Hinc s. Thomas: « Aequalitas est proportio aliquorum habentium unam quantitatem<sup>4</sup> ». Ita duae magnitudines, duorum pedum singulae, dicuntur aequales; sin una duorum, altera trium sit pedum, inaequales erunt. Attamen rerum aequalitas sumitur etiam ex convenientia, vel communicatione illarum in aliqua forma secundum eandem rationem, et eundem modum: « Quaedam, ait s. Thomas, dicuntur similia, quae communicant eandem rationem, et eundem modum, et haec non solum dicuntur similia, sed aequalia in sua similitudine<sup>5</sup> »; e. g., duo nec magis, nec minus alba.

XI. QUANTITAS NON HABET CONTRARIUM. Contraria enim proprie dicta se mutuo expellunt ex eodem subiecto<sup>6</sup>; quantitas autem non expellit, sed potius expostulat alteram, puta corpus superficiem, superficies lineam; quantitas ergo, ut quantitas est, quantitati non est contraria. Hinc *magnum* et *parvum* non sunt contraria, sed relata.

XII. QUANTITAS IMPEDIT ACTIONEM FORMAE. Quod, ut a s. Thoma explicatur, intelligendum est, « per accidens, in quantum scilicet omnis quantitas continua est in materia; forma autem in materia existens, cum sit minoris actualitatis, est per consequens minoris virtutis in agendo; unde corpus, quod habet minus de materia, et plus de forma, sicut ignis, est magis activum. Supposito autem modo actionis, quam forma in materia existens habere potest, quantitas coaueget magis, quam minuat actionem;

<sup>1</sup> Vid. p. 180.

<sup>2</sup> In *lib. III Sent.*, Dist. X, q. I, a. 2, *sol.* 3 c.

<sup>3</sup> Cf. p. 293-294. — <sup>4</sup> In *lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 4.

<sup>5</sup> I, q. IV, a. 3 c. — <sup>6</sup> Vid. p. 83.

nam quanto corpus calidum fuerit maius, supposita aequae intensa caliditate, tanto magis calefacit<sup>1</sup> ».

XIII. QUANTITAS NON SUSCIPIT MAGIS ET MINUS. Nempe quantitas secundum suam naturam et essentiam non intenditur, aut remittitur. Nam minima quantitas aequae perfecta est quantitas, sicut et maxima; siquidem linea, e. g., unius digiti non minus participat definitionem et essentiam lineae, quam quae est mille cubitorum; et numerus ternarius non minus participat rationem numeri, quam millenarius. Illud tamen concedendum est, unam quantitatem posse maiorem, aut minorem esse alia; nam linea mille pedum maior est linea unius digiti, et numerus millenarius maior est ternario; sed hoc non quidem significat *intensionem* naturae quantitatis, sed *extensionem*<sup>2</sup>, quantitas enim per *additionem partium augmentatur*<sup>3</sup>.

XIV. QUANTUM ADDITUM QUANTO FACIT MAIUS. « Intelligendum est, ubi utrumque dicitur quantum secundum eandem rationem; sed ubi unum est ratio alterius, quod sit quantum, hoc non oportet: sicut si lignum est longum, erit linea longa, nec oportet, quod lignum cum linea sit longius quam linea, quia linea est ratio longitudinis ligno<sup>4</sup>.

XV. QUANTUM INTENDIS, TANTUM FACIS. Hoc effatum a s. Bonaventura ita declaratur: « Tantum, et quantum possunt esse nomina, vel adverbia. Si quantum et tantum sint adverbia, tunc dicunt quantitatem intendendi; et tunc est locutio vera generaliter, sive respectu bonorum, sive respectu malorum; quia quantum actus intendendi est intentus in bonitate, et malitia, tantum operatio exterior est bona, vel mala. Omne enim meritum, et demeritum ad actum voluntatis reducitur, licet circumstantiae exteriores aliquo modo faciant ad maiorem voluntatis depravationem. Si autem quantum et tantum sint nomina, tunc dicunt quantitatem ex parte intenti; et sic non est generaliter verus ille sermo, quia opus exteriori factum non semper commensuratur ei, quod intentio intendit; frequenter enim intendit homo facere magnum bonum, et facit parvum, quia modicam habet charitatem.

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 69.

<sup>2</sup> Vid. *Extensive — Intensive*, p. 111-112.

<sup>3</sup> In *lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 1 ad 2.

<sup>4</sup> S. Thom., *Qq. dispp.*, de *Malo*, q. II, a. 2 ad 8.

Habet tamen aliquo modo veritatem in malis, videlicet intendendo, licet non diminuendo; et prout tantum et quantum dicunt quamdam comparationem proportionis, non commensurationem aequalitatis. Unde qui intendit multum peccare, multum peccat, qualecumque opus faciat. Non tamen qui intendit parum peccare, parum peccat, maxime si opus facit, quod multum habet de deformitate<sup>1</sup> ».

XVI. QUAE INTER SE SUNT CONNEXA, EADEM ACTIONE PRODUCUNTUR. E. g., quia radix, et truncus simul colligantur, fit ut qui trahit unum, trahat et aliud. Item, quia clavus infixus trahi habet cum ipsa connexionem, eodem impetu, quo trahitur clavus, trahitur simul et trabes. Rursus ex eo, quod annuli catenae sunt simul connexi, qui movet unum, movet et caeteros. Hoc effatum a s. Bonaventura ita exponitur: « Ubi est unum propter alterum, non oportet ibi esse numerationem; sicut si teneam equum per fraenum, per prius teneo fraenum, quam equum, quia equum teneo mediante fraeno; non tamen duplici tentione teneo utrumque, sed unica<sup>2</sup> ».

XVII. QUAE IN SUPERIORIBUS SUNT UNITA, SUNT MULTIPLICATA IN INFERIORIBUS; *Et vicissim*, QUAE SUNT DISPERSA IN INFERIORIBUS, SUNT UNITA IN SUPERIORIBUS. E. g., natura humana universim spectata est una; et in individuis est multiplicata, ita ut tot sint naturae humanae particulares, quot sunt homines: vicissim, etsi multa sint obiecta sensuum exteriorum, tamen omnia efficiunt unum obiectum adaequatum sensus communis, qui totam potentiam sensitivam complectitur: nam potentia superior respicit aliquam universaliorem rationem, quam potentia inferior<sup>3</sup>. Item, quae sunt unum in Deo propter infinitam Eius excellentiam, distinguuntur in creaturis; et vicissim, quae sunt distincta in creaturis, sunt eminentiori modo unum in Deo, qui est ipsa plenitudo essendi<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XL, a. 1, q. 2 *resol.* Vid. etiam s. Thom., 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XIX, a. 8 c., et *Qq. dispp.*, *De Malo*, q. II, a. 2 ad 8.

<sup>2</sup> *In lib. III Sent.*, Dist. XXI, a. 1, q. 3 *ad arg.* Vid. *Ubi unum propter alterum, ibi tantum unum*, litt. U.

<sup>3</sup> Vid. p. 281-282.

<sup>4</sup> Hinc etiam vides, cur anima intellectiva, cum una sit, perfectiones animae tum vegetativae, tum sensitivae in se complectatur.

XVIII. QUAE UNI ET EIDEM SUNT EADEM, SUNT EADEM INTER SE<sup>1</sup>.

XIX. QUI POTEST MAIUS, POTEST ET MINUS. In primis patet hoc effatum accipiendum tantum esse « in his, quae pertinent ad potestatis perfectionem, non autem in his, quae important potestatis defectum<sup>2</sup> ». Unde, quemadmodum subdit s. Bonaventura, « ei potentius esse illud, cui omnia sunt possibilis, verum est de his, quae posse est potentiae nobilis; nam si posset aliquid, quod non sit de nobilitate potentiae, quanto magis illud posset, tanto magis adversitas et perversitas possent in illum . . . , et ita tanto minus esset potens<sup>3</sup> ». Deinde locum habet, cum agitur de iis, quae ad eundem ordinem spectant, ideoque minus tale est, ut maiori subiiciatur. Hinc avis volare potest, homo vero non potest, quia avis non subiicitur homini, neque in eo continetur: « Non oportet, ut quod facit maius, faciat minus, nisi sit ad id ordinatum<sup>4</sup> ». Quod etiam a Seraphyco Doctore adnotatum fuit: « Qui potest in maius, potest in minus; dicendum quod verum est, si aequaliter ordinantur ad utrumque; nam si habet ordinationem ad maius, et non habet ordinationem ad minus, quamvis possit in maius, non tamen sequitur quod in minus<sup>5</sup> ». Eadem ratione illud, *Quidquid potest virtus inferior, potest et superior*, intelligendum est de virtute superiori, quae est eiusdem generis et ordinis cum inferiori; *modus enim operandi sequitur modum essendi*<sup>6</sup>. Quod si virtus superior non solum sit superioris gradus, sed pertineat ad superiorem ordinem rerum, tunc potest non eodem, sed nobiliori et eminentiori modo illud, quod potest inferior. Ita intellectus cognoscit obiecta sensibilia eminentius, quam sensus, hic enim ea percipit *materialiter*, et *concrete*; ille vero *immaterialiter*, et *abstracte*<sup>7</sup>.

XX. QUIDQUID CAUSA PRIMA CUM SECUNDA EFFICERE PO-

<sup>1</sup> Vid. p. 114-115.

<sup>2</sup> *Qq. dispp.*, *de Pot.*, q. I, a. 6 ad 8.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XLII, a. 1, q. 3 *ad arg.* Hinc s. Augustinus: « Non potest (*Deus*) peccare, non potest mentiri, non potest falli; tanta non potest; quae si posset, non esset omnipotens »; *Serm.* CCXIII, c. I, n. 1.

<sup>4</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. XXVIII, q. III, a. 2 ad 2.

<sup>5</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XLI, a. 1, q. 1, *ad arg.*

<sup>6</sup> Cf. p. 213. — <sup>7</sup> Vid. s. Thom., I, q. CX, a. 2 ad 2.

TEST, HOC POTEST SOLA CAUSA PRIMA. Cum enim a causa prima, idest a Deo, creaturae suam agendi vim accipiant, sequitur ut Deus possit ex se producere omnes illos effectus, quos, assumpta aliqua creatura, tamquam instrumento, produceret: «Voluntas Divina est causa prima et universalissima et actualissima. Ideo potest in totum effectum, et in totam rei substantiam, etiam sine adminiculo alterius causae; nec aliqua causa potest aliquid vel modicum sine ipsa<sup>1</sup>». At vero, modus productionis non esset idem, siquidem effectus, qui producit simul a Deo, et a causa naturali, est prorsus naturalis; simulque dependentiam creaturae a Deo, necnon ipsius Dei immensam Bonitatem, eo quod vim agendi creaturis largitur, magis magisque manifestat. Hinc perperam ex prolato axiomatico colligunt Occasionalistae frustra a Deo adhiberi causas secundas<sup>2</sup>. Rursus, non potest a sola causa prima procedere actio libera hominis, servata hominis libertate, alioquin simul esset libera, et non libera.

XXI. QUIDQUID DICITUR DE DEFINITIONE, DICITUR DE DEFINITO. Hoc verum est de praedicatis realibus; non item de praedicatis rationis, sive *intentionalibus*<sup>3</sup>. Non enim recte dixeris: Definitio est modus sciendi; ergo et definitum. Insuper intelligendum est de iis, quae definitioni, vel definito conveniunt quoad rem substratam, qua ratione unum sunt; perinde enim est, si dicam: homo currit; ac si animal rationale currit; non autem de iis, quae definitioni, vel definito conveniunt *formaliter*, sive ut substantiis his notionibus; sic enim opponuntur, neque definitio est ipsum definitum. Quod enim definitio explicet definiti essentiam, eoque notior sit, hoc competit ipsi, ut definitio est, et a definito distinguitur.

XXII. QUIDQUID EST IN EFFECTU, EST IN CAUSA. Omnis quippe perfectio effectus debet aliquo modo contineri in causa, nempe vel *formaliter*, vel *eminenter*, vel *virtualiter*<sup>4</sup>. Secus enim aliquid haberetur in effectum, cuius existentiae ratio sufficiens non esset in causa, seu effectus aliquis sine causa esset.

XXIII. QUIDQUID MOVETUR, AB ALIO MOVETUR<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> S. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XLV, a. II, q. 2 *resol.*

<sup>2</sup> Vid. p. 77.—<sup>3</sup> Quidquid haec vox significet, vid. p. 179-180.

<sup>4</sup> Vid. has voces p. 133.—<sup>5</sup> Vid. p. 246-247.

XXIV. QUIDQUID RECIPITUR AD MODUM RECIPIENTIS RECIPITUR. Hoc effatum duo significare potest: 1<sup>o</sup> Aliqua debet esse proportio inter recipiens, et receptum, tamquam inter actum, et potentiam; siquidem in subiecto aliquid recipiente capacitas et dispositio ad illud recipiendum requiritur, ita ut, prout maior, vel minor est huiusmodi proportio, et capacitas, maior, vel minor sit receptio. E. g., fons eadem hora tantumdem aquae effundit; ex pluribus tamen vasis, quae ad aquam recipiendam apponuntur, non omnia tantumdem capiunt; nam quae sunt ore angustiore, minus capiunt, quam quae laxiori. Item, qui docet, omnes eadem opera docet, sed non omnes aequae doctrina imbuuntur, sed quisque pro ingenii sui modulo. 2<sup>o</sup> Quidquid recipitur non recipitur necessario secundum modum proprium, sed secundum modum eius quod dicitur recipere. Hinc materialia recipiuntur in intellectu, non *realiter*, et *materialiter*; sed *spiritualiter*, et *intentionaliter*. Unde *cognita*, ut passim docet Angelicus, *sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis*.

Neque mirum, si aliqua virtus spiritualis recipiatur in re corporea; puta in aqua est aliqua virtus producendi gratiam. Nam «virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, et completae. Nihil tamen prohibet, in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter; in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem induendum: sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem<sup>1</sup>». Ad cuius maiorem perspicuitatem adnotanda est disparitas inter accidens corporeum et spirituale. Accidens enim corporeum expostulat subiectum extensum, nec recipitur in subiecto, nisi per quantitatem, et idcirco in subiecto spirituali recipi nequit. Accidens autem spirituale incompletum et transiens, cum magis sit propter terminum, quam propter subiectum, non debet

<sup>1</sup> 3, q. LXII, a. 4 ad 1. Quomodo virtus spiritualis sit in Sacramentis non quasi ens fixum, explicatur in *lib. IV Sent.*, Dist. I, q. 1, a. 4, *sol.* 2 c.

talem proportionem cum subiecto servare, unde potest supernaturaliter recipi in subiecto corporeo.

Numquam autem illud effatum intelligendum est hoc modo: Quidquid recipitur, afficitur natura et conditionibus recipientis, atque redditur tale, quale est ipsum recipientis. Sic enim anima rationalis, dum informat corpus, fieret corporea, et indueret omnes corporis qualitates.

XXV. QUOD ADVENIT ENTI IN ACTU EST ACCIDENS. Per ens in actu intelligitur ens simpliciter, seu omnino iam subsistens, et per se non ordinatum ad aliud tamquam pars, aut eius internum complementum<sup>1</sup>. Itaque sensus effati est: Quidquid advenit alicui iam existenti, et iam perfecte constituto in esse personali, vel substantiali, accidentaliter advenit. Quod si illud, quod advenit alicui assumatur ad unum esse personale, tunc substantialiter ipsi advenire dicitur; ut patet in Christo, in quo unio Verbi cum natura humana non est accidentaliter, sed substantialis<sup>2</sup>, siquidem « humana natura sic advenit Personae Divinae, quod non adiaceat extrinsecus, nec dicit modum inhaerendi, sed ipsius hypostasis substantiam et naturam<sup>3</sup> ».

XXVI. QUOD EST PER ALIUD, REDUCITUR AD ILLUD, QUOD EST PER SE, TAMQUAM IN PRIUS. Sic motum ab alio reducitur in primum movens seipsum: Item in syllogismis, conclusiones, quae sunt notae ex aliis, reducuntur in prima principia, quae sunt nota per seipsa. « Omne, quod est per aliud, inquit s. Thomas, reducitur ad id, quod est per se, sicut patet de accidente, et substantia<sup>4</sup> ». Et alibi: « In omnibus, ea, quae non per se insunt, reducuntur in aliquid, quod per se inest, sicut in primum<sup>5</sup> ». Quapropter bonum commune est principium motivum voluntariorum, quippe quod voluntas in illud naturaliter, ac proinde per se tendit<sup>6</sup>.

Ex hoc effato autem haud inferri potest, mala, quae sunt in mundo, ad aliquid, quod est per essentiam suam malum, reduci. Nam « nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis; unde non oportet fieri reductionem ad aliquid, quod sit per essentiam malum<sup>1</sup> ».

<sup>1</sup> Vid. Actui repugnat accidere actum, p. 35.—<sup>2</sup> Vid. p. 9.

<sup>3</sup> S. Bonav., In lib. III Sent., Dist. IV, a. I, q. 3 ad arg.

<sup>4</sup> In lib. IV Sent., Dist. VIII, q. I, a. 1, sol. 1 c.

<sup>5</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. X, a. 1 c.—<sup>6</sup> Ibid.—<sup>7</sup> 1, q. XLIX, a. 3 ad 4. Vid. p. 207.

XXVII. QUOD EST PER ESSENTIAM, EST CAUSA EIUS, QUOD EST PER PARTICIPATIONEM<sup>1</sup>.

XXVIII. QUOD EST PRIUS COMPOSITO, NON EXISTIT PER EXISTENTIAM COMPOSITI. Hoc effatum haud intelligendum est de eo, quod est prius instar inchoationis entis. Nam materia prima, cum sit aliquid incompletum, et versatile, nullam sibi propriam existentiam habet, sed solum existit per existentiam totius compositi, quam recipit per formam; sicut corpus vivit per totius animalis vitam, quam recipit per animam<sup>2</sup>. Idem dicatur de formis, quae a materia pendent, siquidem esse non proprie ipsis, sed potius per ipsas composito substantiali convenit. « Formae, inquit s. Thomas, secundum esse a materia dependentes, non ipsae proprie habent esse, sed composita per ipsas<sup>3</sup> ». Itaque prolatum theorema accipiendum est de eo, quod instar entis completi est prius composito, seu quod non ita ad compositum constituendum concurrat, ut in illo suum esse adipiscatur. Existencia enim est actus entis completi; quocirca illi, quod in ratione entis iam est completum, convenit existencia sibi propria. Hinc anima hominis non existit per existentiam totius compositi; sed habet esse in se sibi proprium, quod communicat corpori; ipsa enim etsi habeat naturalem ordinem ad hoc, ut suum esse corpori communicet, atque cum eo unum esse hominis constituat, tamen non est aliquid incompletum in ratione entis, quia a corpore non pendet, ut sit, et operetur<sup>4</sup>.

XXIX. QUOD EST RATIO ALTERIUS, SE HABET AD ILLUD, SICUT FORMALE AD MATERIALE. E. g., Finis est ratio volendi id, quod est ad finem; et ideo refertur istud ad finem, tamquam materialiter. Item, principia ad conclusionem comparantur, sicut formale ad materiale. Ex quo effato s. Thomas id colligit: « Quia ergo actus voluntatis est ratio, quare actus exterior sit culpabilis, quantum ad hoc, quod est esse peccatum culpabile, actus voluntatis se habet ut formale ad actum exteriorem, et actus exterior se habet non accidentaliter, sed materialiter ad tale peccatum<sup>5</sup> ».

XXX. QUOD EXISTIT PER ALIUD EST ACCIDENS. Circa hoc

<sup>1</sup> Vid. p. 109-110, et p. 247.—<sup>2</sup> Vid. p. 127.

<sup>3</sup> Contr. Gent., lib. II, c. 51.—<sup>4</sup> Vid. p. 130.

<sup>5</sup> Qq. dispp., De mal., q. II, a. 2 ad 3.

effatum advertendum est, illud, quod existit per aliud, tamquam per *subiectum inhaesionis*, esse *accidens*; sed non illud, quod quocumque modo existit per aliud, puta per opificem, conservatorem, partem etc. Hinc substantiae incompletae non sunt accidentia, siquidem non existunt per aliud, ita ut alteri, tanquam subiecto, inhaereant, sed ita ut in toto substantiali earum existentia perficiatur.

XXXI. QUOD INEST ALICUI PER SE, NON POTEST SEPARARI AB EO. Ratio est, quia « quaecumque per se insunt rei, vel sunt de essentia eius, vel consequuntur essentialia principia <sup>1</sup> ». E contrario, quod convenit alicui per aliud, « potest separari ab eo, separato eo, secundum quod ei conveniebat. Rotunditas enim a circulo separari non potest, quia convenit ei secundum seipsum; sed aeneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc, quod circularis figura separatur ab aere <sup>2</sup> ». Quod effatum sanctus Doctor adhibet, ut substantias immateriales esse incorruptibiles arguat: nam « esse per se consequitur ad formam (hoc est, *forma per se ipsam*, seu *sine aliquo superaddito est determinata ad suscipiendum esse*). Substantiae igitur, quae non sunt ipsae, formae, possunt privari esse, secundum quod amittunt formam; sicut aes privatur rotunditate, secundum quod desinit esse circulare; substantiae vero, quae sunt ipsae formae, numquam possunt privari esse; sicut si aliqua substantia esset circulus, numquam posset fieri non rotunda: ostensum est autem quod substantiae intellectuales sunt ipsae formae subsistentes: impossibile est igitur quod ipsae desinant: sunt igitur incorruptibiles <sup>3</sup> ».

XXXII. QUOD NATURA DEDIT, TOLLERE NEMO POTEST. Nempe illud, quod naturaliter nobis inest, non est in potestate nostra, nec nostro subiacet imperio. Natura enim rei est primum in unoquoque <sup>4</sup>, ideoque naturalia omne praeverunt dominium. Hinc, cum appetitus ultimi finis nobis naturaliter insit <sup>5</sup>, sequitur ut ipse non sit de his quorum domini sumus <sup>6</sup>.

XXXIII. QUOD EST PROPRIUM SUPERIORIS NATURAE, NON

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, De Pot., q. X, a. 4 c.

<sup>2</sup> I, q. L, a. 3 c. — <sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 55, n. 2.

<sup>4</sup> I, q. LXXXII, a. 1 c. — <sup>5</sup> *Ibid.* — <sup>6</sup> *Ibid.* ad 3.

POTEST CONSEQUI NATURA INFERIOR, NISI PER ACTIONEM SUPERIORIS NATURAE, CUIUS EST PROPRIUM. « Sicut luna, quae ex se non lucet, fit lucida virtute et actione solis; et aqua, quae per se non calet, fit calida virtute et actione ignis <sup>1</sup> ».

Ex quo effato sanctus Doctor colligit, quod cum videre Deum per ipsam Divinam Essentiam sit proprium naturae Divinae, quia idem est ac operari secundum propriam formam, seu per Divinam Essentiam, tamquam per formam, seu speciem intelligibilem, « nulla intellectualis substantia potest videre Deum per ipsam Divinam Essentiam, nisi Deo hoc faciente <sup>2</sup> ».

XXXIV. QUOD NATURALITER INEST, VERIORI MODO INEST QUAM QUOD ACCIDENTALITER. « Ista comparatio veritatem habet, quando illud, quod inest accidentaliter, non praesupponit illud, quod inest naturaliter; cum autem praesupponit, non habet veritatem: sicut enim melius est bene vivere, quam vivere, et bene vivere praesupponit vivere; sic melior est voluntas, quae recte movetur et naturaliter, et deliberative, quam naturaliter tantum <sup>3</sup> ».

XXXV. QUOD NON EST DE SE TALE, DEBET FIERI TALE PER ALIUD. E. g., illud, quod ex se non valet producere aliquem effectum, numquam illum producet, nisi ab alio recipiat virtutem. Potest etiam hoc effatum redigi ad illud: *Nihil potest reduci de potentia in actum, nisi per aliquid ens actu <sup>4</sup>*.

XXXVI. QUOD PARTICIPATUR AB ALIQUO, POTEST DE ILLO PRAEDICARI. Adnotandum est aliquid dupliciter ab alio participari posse; primo, sicut ratio communis et superior, quomodo animal participatur ab homine, vel ratio entis ab accidente: secundo, ut existens extra eius essentiam, sicut ignis a ferro candenti participatur, et lux solis ab aëre. Iam quod primo modo ab alio participatur, potest de illo praedicari, sicut animal praedicatur de homine, et ens de accidente; secus vero illud, quod secundo tantum modo participatur, ignis enim non praedicatur de ferro candenti, nec lux corporis illuminati dici potest esse ipsum corpus illuminans.

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 147, n. 2. — <sup>2</sup> *Ib.*, c. 52, n. 1.

<sup>3</sup> S. Bonav. *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIX, dub. 3.

<sup>4</sup> *Vid.* p. 237.

XXXVII. QUOD TRANSIT DE POTENTIA AD ACTUM, MUTATUR. Hoc effatum verum est, cum actus est in ipsa re, quae erat in potentia, eique, ut subiecto, inhaeret: quapropter effatum verum maxime est de *potentia passiva*. E. g., mutatur paries, qui ex albo *potentia*, fit albus *actu*; itemque mutatur homo, qui ex indocto fit doctus etc. At falsum est effatum, si actus sit externus ipsi rei, quae de potentia transit in actum, atque ipsam *extrinsece* denominet; aut alias non insit, vel recipiatur in ea, tamquam in subiecto, vel potentia passiva. Id enim, quod hoc modo transit in actum, non est necessum mutari. E. g., id, quod antea non videbatur, nunc autem videtur, hoc ipso nullam subit mutationem, quia aliquid videri est denominatio *extrinseca*.

XXXVIII. QUOD UNI EST ACCIDENS, ALTERI NON EST SUBSTANTIA <sup>1</sup>.

XXXIX. QUO MAIOR EST VIRTUS PRODUCENDI, EO MAIOREM EFFECTUM PRODUCIT. Dummodo nempe effectus maior intra possibilia includatur. Hinc ex eo quod potentia Dei est infinita, argui nequit, ut effectum infinitum producat; quia effectus infinitus contradictionem involvit. Equidem ad entis creati rationem spectat ut sit participatum, ac proinde finitum <sup>2</sup>. Caeterum, licet omnis effectus a Deo creatus *in re* sit finitus, tamen, quoad modum, « quo fit, est infinitus. Nam etiam minimam muscam creare ex nihilo arguit virtutem infinitam <sup>3</sup> ».

## R

### DISTINCTIONES

I. RADIX—INITIUM. *Initium* dicitur illud, a quo aliquid exordium sumit. « Initium, ait s. Bonaventura, proprie dicit id, a quo inchoat motus ». *Radix* autem dicitur illud, in quo aliquid fundamentum habet: « Hoc sensu *superbia* dicitur *initium omnium peccatorum*, prout *initium peccati* dicit *recessum liberi arbitrii a lege maiestatis*; *radix* vero est *prunitas libidinis*, quae concurrat ad omne peccatum <sup>4</sup> ».

<sup>1</sup> Vid. p. 30. — <sup>2</sup> I, q. VII, a. 2 c. — <sup>3</sup> Cf p. 147.

<sup>4</sup> S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, dub. 4.

II. RARUM—DENSUM. « Densum et rarum in hoc differunt, quod in raro est parum de materia sub magnis dimensionibus; et in denso multum sub parvis <sup>1</sup> ». Iam, « sicut diversitatem speciei in animalibus indicamus ex diversitate figurarum, ita etiam diversam speciem in elementis cognoscimus ex diversitate rari, et densi ». E. g., « si fiat tanta alteratio, vel permixtio aquae, quod recedatur a termino raritatis et densitatis aquae, signum est, quod sit species aquae transmutata <sup>2</sup> ».

III. RATIO FORMALIS—OBIECTIVA. 1<sup>o</sup> *Ratio formalis* rei consistit in ipsius definitione, seu in attributis essentialibus, prout haec a nobis concipiuntur, nempe prout a *particularibus conditionibus abstrahuntur* <sup>3</sup>. *Ratio obiectiva* in illis ipsis attributis, prout sunt in re. E. g., « Logicus et mathematicus considerant tantum res secundum principia formalia. . . Naturalis autem applicat ad determinatam materiam <sup>4</sup> ». Vulgo autem Scholastici *rationis obiectivae* nomine indicabant illud *esse*, quod res habet per modum obiecti cogniti <sup>5</sup>. 2<sup>o</sup> Aliquando *ratio formalis* denotat id, quod in re est *forma*, vel *formae* vices gerit. E. g., calor est *ratio formalis* calidi; cognitio est *ratio formalis*, qua potentia fit cognoscens etc.

IV. RATIO FORMALIS SUB QUA — RATIO FORMALIS QVAE. *Ratio formalis* hoc sensu idem denotat quod *obiectum formale* <sup>6</sup>. Dicitur vero *ratio formalis sub qua* illa ratio generalis, per quam omnia obiecta particularia redduntur apta ut ab aliqua potentia, vel scientia attingantur <sup>7</sup>. *Ratio formalis quae* est ratio peculiaris, quae in ratione generali continetur. E. g., color est *ratio formalis sub qua*, color viridis est *ratio formalis quae*, respectu potentiae videndi, vel, si color dici velit *ratio formalis quae*, lumen erit *ratio formalis sub qua*. Solent etiam metaphysici distinguere in habitibus, qui circa cognitionem versantur, *rationem formalem* ex parte rei cognitae a *ratione formali* ex parte cognoscentis. Illa attingitur ab ipso habitu, et est medium, per quod assentimur veritati, e. g., quantitas dis-

<sup>1</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. II, a. 1 sol.

<sup>2</sup> *In lib. IV Sent.*, Dist. III, q. I, a. 3, sol. 2 c.

<sup>3</sup> I, q. XLIV, a. 3 ad 3.

<sup>4</sup> *Qq. dispp.*, de *Pot.*, q. VI, a. 1 ad 11.—<sup>5</sup> Vid. p. 240.

<sup>6</sup> *Ibid.*—<sup>7</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. I, a. 3 c.